Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1713

Quelle:
Copyright:

que tutum eſt: utinam vero integre fuiſſet aſſignatus. Nam erat adhuc alius (Codex) *ejusdem nominis, ad quem ille remittebat frequenter, qui deperiit: quo dici non poteſt, quantum carueri-mus ægre ad reſtitutionem. Nam multa non cohærebant, multa vetuſtate nimia erant abraſa, quædam ſic ſcripta ab librario, ut neſciremus, quid vellent. Unde coacti ſumus, ubi obſcuriora erant loca, aſteriſcos in margine ſignare, ubi defuiſſet aliquid, vel deſiderabatur, binos aſteriſcos. Noluimus enim temere aliquid vel abradere, vel inculcare, de quo prius certiſſimi non eramus. — Praeterea totum illum ſplendorem, quem vides, in capitum et librorum digeſtione nos indidimus. Nam prius perpetua fluebat oratione* &c. Splendorem certe Inſcriptionibus *Brunfelſianis* conciliant intruſi *Monachi, Sacerdotes Papiſtici, Papa Beſtia cornuta* &c. et perbelle conſpirant cum verbis Autoris, quibus hic *Caput* nobis 29. *Brunfelſio* 28. claudit: *Nam puto coram chriſto ihesu deo piiſſimo quem ſumme obſecro et continue ut non me permittat decipi a malignis ſpiritibus*, puto inquam humiliter me ſubiciens et eidem et eccleſie ſue ſacroſancte romane, ut ipſa uideat et iudicet omnia et ſingula que hic ſcribo vel vmquam ſum ſcripturus, *Puto igitur quod hic poſita de beſtia de adoracione eius multa uel omnia concordent in tempore et numero et materia cum illis que ibi traduntur de locuſtis.* Ita repetit Autor, quae ſupra in Praef. de *Romana Eccleſia* dixerat. At religioſus vir, qui profeſſus erat nolle ſe *temere aliquid vel abradere vel inculcare*, aut fortaſſe jam ante illum *Huttenus*, totam illam περιϰοπην, quam charactere *rotundo* expreſſimus, aut abrafit, aut ſubticuit non ſane magna ingenuitatis ſuae commendatione. — Quanquam porro Formula mox adlata, ut *Codicem* noſtrum terminat, ita et ipſum *Librum* III. terminare videatur, multis tamen ille *Capitibus* in edit. excurrit. Quid vero *Libro* III. et IV. factum ſit, hactenus ignoro, niſi quis dicat, eos idem eſſe cum Tractatu *de Corpore Chriſti*, qui edit. *Opp. Huſſi cit.* T. I. p. 202. legitur, quamvis admodum ſuccinctus ſit. Comparet haec Lector ad ea, quae *Codici* DLII. adnotata ſunt, et tum inter *Matthiam Pariſ.* et *Joh. Huſſum* decernat.

CCCCXXXVI.

Codex chartaceus boh. lat. 907
Sec. XV. Folior. 180. 4. non ab una manu perſcriptus et rubricis enotatus ſequentia complectitur: I. Duas *Joh. Huſſi* Epiſtolas, quarum prior latine redditа extat Opp. *edit.* 1715. T. I. p. 72. *num.* 2. ſcripta ſub ipſum illius abitum ad Concilium *Conſtant.* In hac Epiſtola legitur: *Agizt wipravilſem ſie nacieſtu bez kleitu*, latine: *Et jam itineri me accinxi ſine Comitatu* vel *Conductu*; quod, neſcio qua fide,

Interpres